

Z e  
5585

EVLOGIÆ

Favori, Honori, Memorix, Festi-  
vitati Nuptiali,

GENERE, PIE

TATE, DOCTRINA

ET VIRTUTE PRÆSTAN-  
TISSIMI VIRI,

D N: MATHIÆ SMETAVII:

*Jur: Ultr: Cand: in Repub: Fribergensi*

*Advocati & Civis conspiciui,*

*Secundum Sponsi;*

ET

X 2225092

*Lectissimæ quâ pietate, quâ virtute, morumq̃  
integritate Virginis*

G E R T R V D I S,

*Viri Prudentiâ, Autoritate, ac Inte-  
gritate Amplissimi,*

D N: E R H A R T I S O M M E R I,

*Senatoris ac Prætoris quondam Reipub: Pirnensis ut dignissimi,  
ita fidelissimi, b. m. relicte filie, Sponse  
amabilissimæ;*

Σὺν Θεῶ

*Ad diem, XXVII. Mensis Novembris, Anni: M. DC. X.*

*Fribergæ Hermundurorum celebrande,*

A B

*Affinibus, fautoribus, & amicis, cum fau-  
stissimâ appreciatione hilariq̃ applausu oblatae.*

*Fribergæ, typis Georgij Hoffmanni.*

UNIVERSITÄTS-  
HALLE  
(SAALE)  
BIBLIOTHEK

BIBLIOTHECA  
POMERANICA





Γ Α Μ Η Λ Ι Ο Ν

Ex Psalmi XC. versiculi 14. verbis:

Lætifica nos Domine, post dies afflictionis.

**S**icne DEVS tua fert semper divina voluntas,  
 Ut prius affligas, postmodo lætifies?  
 Sic est: Abramides testis post funera matris,  
 Cum Rebecca Hymenis fœnora letus agens.  
 Testis & Isacides; pecoris post mille labores,  
 Merces grata Rachel cui data pulcra fuit.  
 Testis Josephus, qui dulcia vincula amoris,  
 Carceris immeriti post fera vincla, subit.  
 Testis Tobias, Sara cum conjuge salvus,  
 Exhilaratq; lares, exhilaratq; senem.  
 Tu quoq; testis ades certus, dilecte, MATHIA:  
 Intus dura tibi; dura ferenda foris.  
 Ast hinc post rigida tandem mala frigora brumæ,  
 Commoda, credideris, tempora veris erunt.  
 GERTRVDIS thalamum, subiens SOMMERIA,  
 Conjugis ex obitu sit medicina mali. (nati  
 Eja agè, vita tui Sponsi, Sponsa, exere vultum!  
 Basiolis, video en, suavè rubère genas.  
 Et benè principium fervet. Constanter utrumq;  
 Perpetuum servet Trinus & Unus. Amen.

M. Iohannes Horniceus Fribergensis Rei-  
 pub: Syndicus & Senator in honorem  
 Dn: Sponsi, Fratris in modum dilecti, F.

Uxor



## Uxor oculorum desiderabile.

Ezech: 24. 16.

**P**ulchra solet species oculos mulcere, virentis  
 Cernere sed potius munera leta soli.  
 Ergò, quæ placeat, solum formosa, marito?  
 Splendescens oculis sufficiatq; nitor?  
 Fallor. Quod menti charumq; piumq; benignumq;  
 Id, visus bellum Numinis aura vocat.  
 Ergò suave viri sit delectamen ocellis  
 Uxor, quæ prudens, sedula, casta, pia.  
 Hanc petat, exquiratq; hanc ambiat, hanc vir anhe-  
 Hec inventa animæ chara sit una suæ. (let,  
 Tale tui visus peramabile, sponse, peremtum  
 Morbo, antehâc deluit nœnia nostra, gravi.  
 Jam rursus tecum gaudens Hymenæus amico  
 Noster decantat suaviter ore preces:  
 SCHMETAVIVM reficit qui iterata luce jugali,  
 Castus amor Sponsis ventilet usq; faces.  
 Floreat in domibus pietas, concordia, vestris,  
 Sit constans thalamus, nec sine prole, novus.

Veteris amicitie & affini-  
 tatis ergò f.

M. Iohannes Ehrenbergius Pastor apud  
 Oberboberizenses.



Nuptialis gentilium solennitas  
Christianis vanitas.

**A**ntiqua sacra nuptijs solennia,  
 Quæ olim beatas reddidere nuptias?  
 Citatus ad tædas prece & fausto omine,  
 Talasio præses DEUS nubentium:  
 Cornicularum par videre, aut turturum:  
 Myristicus Saturniæ porcus cadens:  
 Suadela, votis & vocata Cinxia,  
 Diana: dein medulla Dione nuptijs,  
 Et Juno adulta, & nuptialis Jupiter:  
 Nympheuta ductor, & comes Promnestria:  
 Fulgoris & ministra spina flammei:  
 Sponsæ comam discriminans & hastula:  
 Et flammeum obnubens novæ nuptæ caput:  
 Constantiæ nota annulusq; ferreus;  
 Confarreatio, asiumq; ternio,  
 Et tædiger gemellus, & lana, & colus,  
 Fusus, cribrum, sandalia, & stalagmia,  
 Peluesq;: spintheresq;, stamen, pectines,  
 Cinctus recinctus, inq; tacta limina,  
 Sponsæ. Sacra ô mentita, tota & frivola,  
 Sexcenta vana & cætera, errores meri!  
 An pellere Aten ista noxiam queant?  
 Torum & beare, & faustitatem inducere?

O vani-



O vanitatum vanitas vanissima!  
Thalamum DEUS in prosperando iuverit,  
Incassum ineptus ista tædis admovet,  
Nec hilo erit pilove fortunatior,  
Hæc quamlibet facessat exactissime.  
Ergo valetè Sacra vos vanissima,  
Ad vos frequentantes abite, quò lubet.  
Vos nescit alma Christias: Christum hæc sequens  
Est ejus unis una sacris dedita  
Fugalibus: Gentile sacrum despuit.  
Trinune verum tu une, terq; une ò DEUS,  
Servator, autor, & probator conjugij,  
Felix ades vocate, sponsis his novis  
Tædas & auspiciores effice.

M. Joh: Schellenbergius Sch: Frib: R.

I V.

Præmonitus  
AD DN. SPONSUM

Δὲ τεργαμῖντα.

**S**PONSE! quid inceptas? quis mentem fascinat  
error?

Quid? supplex Hymeni das iterumne manus?  
Non venit in mentem tibi, quæ responsa Sorores  
Reddiderint Veneri, teste Platone, novem?

A 3

Ista



*Ista minabatur, ritu sua sacra recepto  
Ni colerent, Nati spicula facesq; sui.  
Ille è sublimi ridentes, talia contra:  
Non nobis, Marti tela minare Venus!  
Nempe valent inter nos, ô Venus! illa, Pyrenei  
Contra nos vafri quod valuerè doli.  
Sic Musæ: sic te quoq; respondisse decebat,  
Sponse, Deis thalami: nil valuisset Hymen.:  
Te quoq; Pieridum quoniam profiteris alumnum,  
Atq; in delitijs sacra Themistos habes.  
At tu non tantum juvenili fervidus aestu  
Victus es: en! viduum te quoq; vicit Amor.  
Vicit Hymen, vicit Cytherea, heu! noxia Musis,  
Teq; triumphatum cogit adire torum.  
Quâ fronte Aonides, quâ fronte tueberis illum,  
Fœdera crebra tori qui maledicta vocat?  
Præripiet Casti nomen tibi Portia: quippe  
Bis-nuptam Castæ nomen habere negat.  
Eja! quid est animi? Sponse! Hanc, Senecamq;  
Pleno ad te cursu tendere nonne vides? (Deasq;  
Heu! te culpabunt. Verum dic; Ethnica turba es;  
Veri scripta Dei me meliora monent.  
Ipse Jehova inquit: Non est, homo solus in orbe,  
Tædia quòd lucis, tædia noctis agat.  
Imò ego nec restim duco. Bis nupsit Abramus,  
David, Assverus rex, aliq; viri.*

*Quare*



Quare vos tantum procul ô procul este profani,  
Cum scriptura albis præ sacra cedat equis.  
Tu verò propius G E R T R U D A accedito, dumq̄  
Sævit hyems, lecto membra foveto mea.  
Ecce! vocata venit propius tua Nympha, trahitq̄  
Æstatem secum. Jubila tolle polo.  
Jubila, jo! tollas: regnabit & æstus & æstas  
Per brumam in solo lectulo, Amice, tuo.  
Sponse hanc æstatem frigans accede: calesces  
Plus satis, & Domini numine messor eris.

M. Andreas Quelmaltz Conrector.

V.

O Nimum felix, & dextro sidere natus,  
Cui pia, cui prudens, castaq̄ nupta datur!  
Recreat hæc mentem, viva hæc solatia præbet,  
Et vultu risus excitat, auget, alit:  
Letitiæ hæc extat thesaurus semper-opimus,  
Portus in adversis, vita, corona viri:  
Frugiferis certat talis PIA vitibus uxor,  
Letâ & Iò victrix voce triumphæ canit:  
Et Pæstana velut circumvolitando rosæta,  
Cecropij cumulant flumina mellis apes:  
Sic ratione pari dum limina circuit uxor  
Gnava, maritales concumulantur opes.

Sed



*Sed quid opes? Facit hæc numerosâ prole parentem,  
Ne desint unquam stemmata avita, facit.  
Nec mihi, si Charitum flueret Suadela sororum,  
Vatis & Ismarij plectra sonora forent,  
Pandere fas esset, cornu quot mille benigno  
Commoda, quanta! viro CASTA PVELLA ferat.*

**H**uic ergò cedant Tagus, & Pactolus, & Hermus;  
Maximus Huic Cresus cedat & ipse loco:  
Cedat & hinc longè Stygij ad vaga claustra Leonis,  
Conjugium invisum qui docet esse DEO.

*PAPA docet, scelerum - caput: Interea omne nefan-  
Commisisse (nefas!) baud putat esse nefas. (dum  
Sanctius at junxisse P I A M sibi foedere*

**S P O N S A M,**

**D**ulcia & hinc sancti munera nosse tori,  
Quàm sentire faces guttâ ex Amathuside  
tinctas,

**A**ut alere illicitæ vulnera dira Dæ:

*Tarsensis docuit: Cujus reverentiâ major  
Est nobis, Stygio fulmine, PAPA, tuo.*

**O**igitur felix, Gratij Charissime S P O N S E,

*Cuî pia, cuî prudens, castaq; Nupta datur:*

**H**æc T B lætifici recreet Nepentheos instar;

*Et placido placidos excitet ore jocos:*

*Hæc*



Hæc sit apis laribus semper - studiosa, benigno  
Semper & Hæc ULMO VITIS - amica TIBI.  
Hæc faciat, celebres ut avi numerentur avorum,  
Ludat & ante Tuos turba tenella pedes.

M. Gabriel Güttenerus Delit. S. S.  
Theolog. Studiosus.

VI.

**S** METAVIO quid gratulandum?  
Quin imprecandum, invisor inquis!

Nostratibus tenellam,  
Nam præripit puellam.

Ast invidete, quisquis estis,  
Quantum potestis, invidete!

Nil imprecationes

S METAVIVS moratur.

Prærepta præda est. Cur morati

Tot estis horas, tot diesq;

Mensesq;, tot neglectis

Occasiunculisq;?

Lugete nunc, & invidete,

Quantum potestis, quotquot estis:

Factura digna vestra est

Procrastinatione.

Injurij vobismetipsis

Nisi esse cives fors velit,

B

Captate



Captate quisq; quamq;  
Dum tempus est, puellam.  
Nam segnis ut moræ periculum est  
Videtur! hinc non este segnes,  
Quoscunq; amoris ardor  
Medullitus perurit.  
At ista quorsum? faxit almus  
Felicittatis atq; sortis  
Præses benignus, & fons,  
Ut Coniuges virescant,  
Æstate qualiter virescunt,  
Herbæq; vitesq; arboresq;  
Cognomen id quod indit  
Sponsæ, quod omen esto!

Johannes Schidellius Bud. Schol. Luth.  
Patr. Collega.

VII.


**G**Aude, Sponsæ, tibi talem sortire maritam,  
Quam decorat pietas, gratia, forma, pudor.  
Hæc tibi in adversis, rebus rebusq; secundis  
Semper erit præsens officiosa comes.  
Mens quoties tacitis tua carpitur anxia curis,  
Et quoties pectus cura, dolorq; premunt;  
Auxilium toties, requies, tibi grata medela,  
Semper & ærumnis dulce levamen erit.  
Gaude,



Gaude, Sponsa, tibi talem gratare maritum,  
Cui suus ex meritis accumulatur honos:  
Quem decorat virtus, & docta scientia Juris,  
Qui gravis eloquio, consilijsq; bonus.  
Ergo ubi vos thalamo DOMINVS sociarit in uno,  
Fas est, ut vobis prospera cuncta precer:  
Tu Pater altipotens, Δόρυ, tu Spirabile numen,  
Hos tege praesidio tempus in omne tuo,  
Incolumes ambos, cunctis tutosq; periculis  
Serva clementi pro bonitate tua:  
Atq; illis etiam (tua quae sunt munera tantum)  
Blanda thori dona pignora legitimi.

Honoris ac moris ergo decantab.

Ambrosius Kostviel Lipsiensis, jam verò  
temporis Syndico inclytæ Reip.  
Friburgensis à libellis.



VIII.

J E H O V A

Nuptiarum conciliator: Genes: 2.

v. 22. cap: 34. v. 50. & alibi  
passim.

**V**irginis ambitum laudato more jugalem,  
Fidemq; amoremq; & torum,  
Mænia cum petijt

B 2

Alta



*Alta Budisina SCHMETTAV, votiꝝ reversus  
Est inde compos optimi;  
Unus Et alter abest*

*Mensis. Et, En! hodie connubia pacta, datamq;  
Fidem peregre prestitum,  
Virgo petita suo*

*SPONSO SPONSA venit. Quos ergo in vota vocemus,  
Ipsis precaturi bene,  
Voce favente deos?*

*Annè Pharetratum; parili qui dicitur astu,  
Potens amoris, torrida,  
Jungere corda puer?*

*Junonemvè; suo quæ iura jugalia nutu  
Sancire pronuba, Et sacrum,  
Fertur amare torum?*

*Aut Hymenem; socium cujus custodia lectum,  
Olim tueri credita est?  
Sed procul esto, procul*

*His divis esto. Nihil hi, nihil omnis ad unum  
Divùm caterva; gentium  
Vana superstitio*

*Quorum triginta venerata est millia. Namq;  
Non numen est, sed numinis  
Nomen inane, sibi*

*Quicquid*



Quicquid & illa unquam finxit pinxitq; deorum.  
Præfata quare nuptijs,  
Ludicra turba vale.

Ludicra turba deum vale tota. Est Unus & idem  
J E H O V A trinus; hunc tuo  
Substituisse loco

Nos juvat. Hic sacri sacer, immò sacerrimus, ipse  
Tori auctor est: reciproco  
Nectit amore duos

Hic animos: thalamos hic pronubus ipse procurat,  
Suoq; tutos numine  
Præstat: hic Asmodeum,

Et patronus Erin propellit, & omne, fugales  
Turbare quod discordiã  
Seq; gregare solet.

Hunc igitur votis, hunc sollicitemus anhelò  
Precum vigore: S C H M E T T A V I  
Ut bonus ipse novum

Firmet amore torum, gratã firmumq; salute  
Longos in annos protrahat,  
Multipliciq; simul

Prole opibusq; beet. SPONSÆ sis, SPONSE MATHIA!  
Tuae subinde M A T T E Æ.  
Tunc erit illa Tibi,



*Quod solet agricolis aestas. Namq, antè serendum  
Est, quam metendum. Factitet  
Munus uterq, suum.*

CHRONODISTICION.

*LVCiferIsVperant trIgInta Vbl qVattVor anno,  
SCItVLa SChMettaVII nVpta CVbILe sVblt.*

*Ioannes Leuschnerus Coldicio - Mysius Hono-  
ris & boni ominis ergo f.*

Διαλογισμὸς παισικὸς

*Sponsi & Sponsæ, choro Musarum  
applaudente,*

*Numeris Harmonicis donatus*

*Dn: Christophoro Demantio, Cantore Frib:*

*CHOR. P Laudite! post hyemes aestas, post nubila  
Phæbus (lumba veni.*

*SCHMETTAVIO rident. SPONSVS. Nostra pa-  
SPONSA. Mené, Palumbe! vocas? SPONSVS. Te te.  
Nunc me tibi trado.*

*SPONSA. Meq, tibi totam. SPONSVS. Tu mea.*

*SPONSA. Tu meus es.*

*CHOR. Bellula traditio! rata, felix, fertilis esto.*

*SPONSVS, Tu mihi delicia. SPONSA. Tu mihi letitia.*

*SPONSVS. Tu mihi pulcra Venus. SPONSA. Mihi tu  
formosus Adonis. (necte mihi.*

*SPONSVS. Oscula pange mihi. SPONSA. Brachia*

*CHOR.*



CHOR: Quàm bene! quàm lautè! SPONSVS. Mihi  
mustea porge labella.

SPONSA Sunt tua. SPONSVS. Basiolum da mihi.  
SPONSA. Redde datum.

SPONSVS. Tu mihi sis Danaë. SPONSA. Mihi tu sis  
aureus imber. (DIT OPVS.

CHOR. Pergite, quod superest: SIC BENE CE-  
Idem fac.

IX.

**E**St felix, humeris duplici velamine quisquis  
Indutus, condit plurima ligna foco.  
Ne teneros intret penetrabile frigus in artus,  
Et mortis gelidæ causa sit ipse sibi:  
Cum sol pallentes haud unquam discutit umbras,  
Quodq; petit sævum tecta perusta, gelu:  
Et cum clausa tenet stabulis armenta, nec ullæ  
Apparent frondes, sed riget omnis ager.  
At fallor: Quoniam tacitè nox atra propinquat,  
Atq; homines somnum cogit inire levem.  
Cogitur ille focum linquat, vestemq; vicissim  
Deponens, thalami frigora magna petat.  
Quæ dum sæpe cupit sumptis depellere flammis,  
Ignem ne, labor est, inferat ipse thoro:  
Vulcanusq; suis facibus rapiatur in auras,  
Et mox vicinum, mox aliena petat.

Hunc



**H**unc longè superat, varius cui suggerit usus,  
Tutò ut pellatur bruma, geluq; toro.  
Hæc tua dum nacta est mens, ô doctissime Sponse,  
Palmam præ reliquis arripis ipse viris.  
Non igitur frigus, Boreæ nec tempora tristis,  
Nec glaciem curas, quæ jacet ante fores:  
SOMMERIN in thalamum siquidem tibi ducitur  
uxor:

At virgo est, ne quid mentiar; uxor erit.  
Hæc tibi perpetuam casto sub pectore flammam  
Præbet, quâ possis nocte dieq; frui.  
Tu modò sis alacris: dabit hæc tibi messibus Æstas  
Et fructum, & segetis pignora multa feret.  
Sed valeas, satis est, cum Sponsâ, Sponse, novellâ,  
Et vigeat multâ fertilitate torus.  
Quod precor ex animo: faveat DEUS ipse pre-  
canti:

En, fiet: quare nunc mea Mvsa silet.

Honoris ac moris ergo pertexebat  
Christianus Dexelius Fribergensis.



Amoris



**A**rmipotens veluti miles, belloq; cruentus  
 Cingitur, & densos fertur moriturus in hostes,  
 Ut vitam patriosq; lares defendat, & omne  
 Deportet spoliū, cum letum leta triumphum,  
 Vox canit, & longas visunt Capitolia pompas:  
 Sic tua nunc clypeo munito pectora Sponse,  
 Hostemq; aggreditor, Veneris dum cinctus es armis.  
 Eja age! tempus adest, bellum, nunc tela capesse,  
 Hucq; manu sevâ rape gressum, & fortiter hostem  
 Irrue, destrue, confice, disijce, & interime omnem.  
 Quisnam, ais, est hostis? Martis quis praelia tentat?  
 Compositam & pacem violat nunc? Quis? Tua spon-  
 Et conjux, valido tibi quam conjunxit amore (sa  
 Jovæ pater, cujus, quia fert ita magna voluntas,  
 Imperijs parere paras cœlestibus, atq;  
 GERTRUDAM in thalamum ducis Neonymphe  
 tenellum,

Cui figas centum ter millieq; basia, donec  
 Mollia dans labris rorantibus oscula dicat:  
 O dulcis conjux, mea spes, mea magna voluptas,  
 Solamenq; meæ requiesq; optata senectæ.  
 En satis est, cessa, finemq; impone labori.  
 Captemus requiem, somnoq; fruamur uterq;  
 Occludens oculos palmam tibi vendicet ipsa.


C

En tunc



*En tunc victor eris, meriti tibi dentur honores;  
Ipse geres manibus partæ tua præmia palmæ,  
Cum fulgens magnum Titan renovaverit annum:  
Quod precor, atq; meis solennibus expeto votis.*

*Casparus Dobeneccerus Culmbacensis,  
Scholæ Frib: alumnus.*



XI.

CARMEN NVPTIALE.

**R**ebus in humanis nihil est jucundius unquam,  
Quàm duo si nectat corda jugalis amor.  
Dulcia conjugij DEUS hæc nam fœdera sanxit,  
Nos ceu principio Biblia sacra docent:  
Ut ne solus homo miserandum transigat ævum,  
Adjungat sociam sed sibi consimilem.  
Et Christus terras cum perlustraret alumnas,  
Se, commonstravit, pacta probare tori;  
Quandoquidem tædas Canæ decoravit in oris,  
Ex gelido ut fecit fonte suæve meram.  
Rectè iccirco facis, dum, sic moderante Jehovâ,  
MATTHIA repetis vincula casta tori.  
Aspera tempestas, adversi & murmura venti  
Hactenus in vacuâ perstrepuere domo.  
Turbida sed rursus Phœbus post nubila fulget;  
Incipiet posthac clarior ire dies.

*Nam*



Nam jungenda tibi ad sacram deducitur aram  
Nunc vivax animi, Sponsa, medulla tui;  
Quæ superat verâ veteres pietate Sabinas,  
Cui non virgineus cedit ab ore pudor:  
Tristia quæq; suis mulcebit pectora dictis,  
Te quoties duro sors premet arcta pede.  
Lætitiæ tecum voces ad sidera tollet,  
Cum placido duces candida vela salo.  
Argenti, quidam, quibus est grave pondus & auri,  
Hic gaudent largâ munera ferre manu.  
Auri ac argenti sed quos gravis urget egestas,  
Tenuia cum votis carmina ferre juvat.  
Gratulor ergo tibi tali de conjuge, Sponse;  
Connubijs cœptis prospera cuncta precor.  
Vivite concordēs, concordī vivite nexu;  
Absit Eris, socij fœderis adsit Eros.  
Vivite fœcundi, fœcundo vivite lecto,  
Multiplycate solum, multiplycate polum.  
Hæc ut contingant, thalami DEUS autor & auctor  
Tu votis Amen his superadde meis.

Faciebat

Johannes Voitius Redvicensis Scholæ  
Fribergens: alumnus.

F I N I S.



Ze 5585 *W*

*[Faint, mostly illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

*[Faint text at the bottom of the main text block, possibly a signature or date.]*

F I N I S

*[Handwritten mark or signature at the bottom center.]*

*[Handwritten mark or signature at the bottom right.]*





CR. 243, 27

Favori, Hor

GENI

TATE,

ET VIRT

DN: MATH

Jur: Ultr: Car

Advocati

Sec

Lectissimæ quâ

inte

GER

Viri Pruden

DN: ERH

UNIVERSITÄTS-  
HALLE  
(SAALE)  
BIBLIOTHEC  
Senatoris ac Prætoris qu  
ita fidelissim

Ad. Mem. XXVII. M

Fribergæ H

Affinibus, fauto

stissimâ apprec

Fribergæ, t

Z e  
5585

BIBLIOTHEC  
SAXONICAVIAN

